

Matthias Stein Joachim Schnobel

**Discursus De Utilitate Disputandi In Academia Et Istius Comparatione Cum
Disputatione In Foro Juncta Invitatione Humanissima Ad Audiendos Benevole
Nonnullos Infra Nominatos Jurisprudentiae Cultores Quibus Exercitium
Publicum Disputatorium In XXV. Dissertationes : [P.P. A. M. DCCII. d. XIV. Maij.]**

Rostochii: Wepplingius, [1702]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn827881509>

Druck Freier  Zugang



DISCURSUS
DE
UTILITATE
DISPUTANDI IN ACADEMIA ET ISTIUS COMPARATIONE CUM DISPUTATIONE IN FORO

JUNCTA INVITATIONE HUMANISSIMA
AD AUDIENDOS BENEVOLE
NONNULLOS INFRA NOMINATOS JURISPRUDENTIÆ CULTORES



QVIBUS
EXERCITIUM PUBLICUM DISPUTATORIUM
IN XXV. DISSERTATIONES
VIRI PRÆNOBILISSIMI, CONSULTISSIMI, AMPLISSIMI
& EXCELLENTISSIMI

DN. JOACHIMI SCHNOBELII
PROFESSORIS QVONDAM HUIUS ACADEMIÆ
FAMIGERATISSIMI, POSTEA SYNDICI
SEDINENSIS GRAVISSIMI
IN AUDITORIO MAJORI
ALTERNIS PLACUIT HABERE VICIBUS,
PROPOSITUS

ABS EXERCITII HUIUS PRÆSIDE
MATTHIA Stein/
U. J. D. & PROF. PUBL. ORDINAR.

1700

ROSTOCHII, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.





ulla ambigendi suppetit ratio, qvin singulariter in bonarum Doctrinarum studia propensus animus pro interiori divinitus facta vocatione certo fit habendus. Nemo enim sibimetipsi vel vitam vel ingenium potest comparare, sed omnia quæ possidemus, aliunde accepimus, inde non poterit non præclara quæq; indoles ab eo esse profecta, qui desuper omnia bona mortalibus largitur. Et sicut ille mentem, quàm *divina particulam aure* esse extraneus etiam poëta agnovit, nobis indidit, sic animos etiam nostros pro suo nobis arcano placito dirigit. Quandoquidem vero cœlestis originis est quâ de agimus indoles, utiq; qui ad aliud studiorum vitæq; genus, atq; in quod naturali instinctu animus fertur, quempiam invitum & reluctantem compellunt, caveant ne vim inferant vocationi divinæ. Nec enim audienda est bruta illa & homine, multo magis patre, profus indigna cujusdam vox; cujus filius, cum impense studia & libros amaret, ingenii etiam dotibus non vulgari ter esset instructus, coactus tamen fuit illis derelictis equos & currum tractare; quumq; Conjux obniteretur, illam repulit ajendo, numquid cum filio melius agi deberet, quam fecit? Sane quibus Deus amorem discendi, investigandi dedit, dabit etiam eo, quod tantoperè concupiscunt potiri, modo ea quæ semel appetierunt studia continuo persequantur ardore: Ast toties proh dolor contingit, quod multorum animos facile tædium capiat, qui literis & præclaris quibusq; disciplinis antea non poterant exsatiari, parum attendentes quod variatio perquam odiosa. *l. ult. pr. C. De Codicill. & in castris non duntaxat isti plectantur milites qui contra mandatum Imperatoris insurgunt, sed & qui stationes deserunt,*
laboribus

laboribus se subducunt & in excubiis dormientes deprehenduntur, quales *sacra pagina* remittit ad scholas formicarum: Qua imagine sapientissimus ille Salamon dulce istud otium, matrem nutricem vitiorum omnium fugere docet; quamq; & veteres Romani, *referente Cicerone in libro De LL.*, ante oculos jugiter habuerunt, utpote qui asseverat, nullum Romanorum antiquitus per plateas ire ausum fuisse, nisi arma quibus victum sibi parabat, tanquam signa circumferret indicaretq; suo se labore vitam ducere: Quam ob rem Consul ante se securim pro armis gestabat, Tribuni clavam, Lanistæ vel Gladiatores ensen vel spatham, Sartores forficem, Fabri ferrarii malleum, Oratores librum: Imo si omnia, quæ creavit DEUS, consideramus, nihil prorsus comperiemus esse, quod ab opere vacuum in otio vitam degat, excluso solo homine: Observa quælo solis continuam motionem, Cælum & stellas erraticas in perpetua esse agitatione: Ignis quin quotidie in aliquid agat se continere nequit: Aër semper ab hac mundi parte in aliam comineat: Aquæ, fluvii, fontes continuo fluunt. Terra etiam nunquam habet ferias, natura enim sponte suâ herbas, plantas & fructus alios, quibus tam homines quam bestię nutriantur, producit, quamq; nullo unquam tempore ab omni actione vacuum deprehendit: Et ipse Homo *Gen. cap. 3. vers. 19* ad laborem natus uti avis ad volandum. Hinc Imperator Valens ignaviæ sectatores, qui ad evitanda civilia munera in solitudines & monasteria secedebant, retrahi ad labores statuit, neq; prætextu religionis ignaviam passus est. *l. 26. C. De Decurion De Cujus varia à variis gentibus dictata pœna legi meretur Tholosan. Synagm. Juris Univ. lib. 39. cap. 6. n. 18. seqq.* Soluta ita homo ad prava inclinatur & propensionem ad literas à natura inditam desidiâ, quæ eruditionis noverca audit *cap. ult. Distinct. 83* toties extinguit, spreto eo quod rationes aliquando sanctissimo DEO

de omnibus, etiam de verbo otioso sint reddituri. *c. 21. Causa*
22. q. 5. Equidem nonnullos externus & plurimorum animos
pariter atque oculos perstringens dignitatum honorum
que splendor non parum excitat, ast vix initium cum fervē
re factum, mox erga studia langvescit amor, Doleo sane &
tacite mecum ingemisco, quotiescunque superiora tempora
repero & cum hodiernis moribus confero; quantum ibi ardor,
quanta diligentia, quam impigra sedulitas! Quanti sumtus
tum impensis in libros, quanta caritas docentium! Quanta in
hiscē omnibus nostrorum temporum ex adverso est infœ
licitas, quam fervor ille hodie in plerisque refrigit! Vix
disciplinæ alicujus addiscunt principia, & rem ita latis expe
ditam esse autumant, in rationem parum vel prorsus non in
quirentes, cum tamen, ut juris duntaxat in præsentiarum
habeatur ratio, illud sit ars æqui & boni. *l. 1. princ. ff. de l. 51.*
Inde Lex quævis ut rationem & obligationem intus alat,
neesse est, *Rationem* quæ se ostendat & ab obscuritate &
Tyrannide se vindicet, *obligationem* quæ vim & virtutem
suam exponat, Equidem jam olim *l. 20. & 21. ff. de LL.* in er
rorem duxerunt JOH. FABRUM ICTUM, cæteroquin
doctissimum, ut in *Comm. ad §. fin. Inst. si quædr. pauper. fec. dic.*
iniquos proclamarit eos, qui studiose legum rationes exqui
rant, iisque nisi erutis non facile accedant. At enim exe
mit istud dubium HERM. CONTRARIUS, dum in *Epistola*
ad Henr. Longenbeckium quidhæc ait: Lex velit, feliciter ex
pressit: Enimvero, ait ille, *scilicet* *Et nos verissimum esse*
Juliani JCTI illud: *Non omnium quæ à majoribus constituta sunt*
ratio reddi potest, si rationis voce intelligas, id quod primam se
rende legi occasionem dedit: Qui enim assequamur illa omnia,
præsertim si lex sit vetustæ & gestarum in Republica rerum nulla in
vulgus suppetant monumenta? Etenim scire leges, non est
originem & rogandi occasionem perpectas habere, sed ra
tionem

tionem & mentem earum intrōpicere propius & indagare, quæ sint interna legum vincula, quæve vires, siquidem lex condita, non ut otiosa & virium sit expers, sed ut ad facta hinc inde pro re nata adhibeatur vimque suam in omnes partes, ubi opus est, exserat: Fieri autem nequit ut ad facti speciem eadem accommodetur, cum virtus istius præcipua & ratio ignoretur, toties quippe legis ratione cessante, cessat istius dispositio arg. I. 13, ff. de adopt. I. 32. ff. de part. Sebast: Gambs: *Theſaur jurisprud; lib. 10. cap. 10. Axiom. 30.* lex ipsa ratione istius per statutum vel consuetudinem remota, prorsus correctâ intelligitur. *Carpz: part. 3. C. 3. def. 16. n. 8.* Optimam autem in rationem legis inquirendi viam frequens suppeditat disputatio: Sive enim Respondentis quispiam, sicve Opponentis fungatur munere, ante omnia rem de qua contentio est, rectè tenere, rationes quæ Theſin firmant quæquæ illam infringere videntur, sollicitè explorare, variâque eadem ingenii agitatione volvere & revolvere studet, ut quam firmis subnixâ sit fundamentis & qua ratione tueri eam queat, vel qualitercunque tentare intelligat: Quo fit ut iteratis ita cogitationibus in eam defixis, repetitis quasi multoties ictibus, altius infigat animo: Sane non desunt qui diversa sæpe maximeque discrepantia principia simul admittunt, omnibus promiscuè locum concedentes, adeoque omnibus iisque variis, sibi que adversantibus opinionibus quoad antenus addicti, quum in nullius veritatem inquirent, nullam falsitatis accusent, dumque nullam rejiciunt & damnent, omnes reapse simul approbantes. Quemadmodum videlicet vi tempestatis tracta & dehiscens navis ad scopulos allidi vel à gurgite absorberi solet: Ita in præcipitium delabi necesse est, qui inter variarum opinionum æstus fluctuant atque jactantur veritatis curam nullam agentes: Laude ergo dignum erit Disputandi exercitum, quò firmiter hæere præcepta

pta facimus, ingenium non solum excitatur, sed simul magis magisq; acuitur, unde intelligendi, inq; omnes partes se ver-
tendi celeritas, nec non accurate & distinctè in jure loquen-
di promptitudo, ex duabus enim & diversis sententiis utraq;
suò respectu & modo vera esse potest *l. 15. §. 32. ff. De Damn. infect.* Unde illi, qui distinctè loquitur, plus credendum est
Wesenebec. *p. 2. Conf. 60. n. 30.* & proximum veritati esse di-
cimus, qui bene distinguit. Salicet. *in prefat. Cod.* cum ea quæ
divisim traduntur, commodius & facilius percipiuntur. §. 3.
J. De Legat. Distinctionum exempla occurrunt in *l. 14. §. 7. ff. De Religios.* Ea propter communiter in contrariis opinio-
nibus est receptum, eam quæ scødere distinctionis cøteras
conciliat, sequendam & sic utramq; in suis terminis recipi-
endam esse. arg. *l. 18 in fin. princ. ff. De heredit. petit l. 15. §. 32. ff. De Damn. infect. l. 7. §. 7. ff. De Acquir. rer. Dom. n.* Idq;
non tantum propter maximum usum, quem perspicuè exhibet
l. ult. C. De Edend. verum etiam propter necessitatem, ut
videre est in *l. 21. C. De furt.* hinc usu evenit, ut in qualibet di-
spositione ad evitandam contrarietatem oporteat, ubi opus,
subdistinguere & subdividere. Ruin. *Consil. 109. n. 9. lib. 1.*
Quaque ratione scøpissime fieri, ut distinctiones secundam
rem potius quàm terminos extent, v. g. juris gentium pri-
mævi & secundarii, officii judicis nobilis & mecrenarii, fru-
ctuum naturalium & industrialium, obligationem in civi-
les, naturales & mixtas, asserit Bachov. *in Comment. ff. De pact. ad rubr. n. 3.* quibus tamen docendi causa recte utimur,
modo non sint fallaces, sophisticæ & supervacuæ, has enim
exculare debere patet ex *l. 23. C. Ad Sc. Vellejan. Tabor. in Tract. De Metat. p. 3. Sect. 2. cap. 1. n. 10.* Sicq; disputando veritatem
fieri luculentioris satis liquet, idq; confirmat *l. 2 §. 5. & 6. ff. De O J. l. 97. ff. De Legat. 3.* Cujus propositi nostri utilita-
tem pariter & jucunditatem evidentius adhuc maxima di-
sputandi

sputandi in cathedra cum disputatione fori declarat affini-
tas. *Præsidis* siquidem persona reliquis, qui munus Respon-
dentis & Opponentium in isto actu sustinent, dignior & præ-
stantior habetur, cum totius disputationis cursum dirigat, li-
temq; quæ movetur, juxta leges ac consuetudines dirimere
intendat: *index* pariter à jure dicendo dictus quasi jus dicens
l. 1. ff. de juris dict. passim juris appellatur disceptator *l. 14. C. De*
judic. l. 3. §. 1. ff. de recept. arbitr. quia cognoscit de partium lite
eamq; dijudicat *l. 3. §. 13. ff. Ad Exhib. e. forus 10. vers. index d. dictus.*
extra. De V. S. secundum leges & Consuetudines. princ. 7. De
officii judic. Quapropter etiam istius persona reliquis qui in
judicio intervenire solent, dignior & præstantior censetur.
Schrad. de feud. part. 1. in Preamb. n. 2. Unde & totius ju-
dicii dux ac Imperator. *Bald. in Rubr. C. Si à non compet.*
judic. Basis ac fundamentum *d. c. forus extr. de V. S. juris, justiti-*
æ & Dei minister vocatur *l. 1. §. 1. ff. De I. §. 1. l. 2. §. 13. ff. De O.*
7. Nec ulla major gloria, quam præ esse judiciis, per quæ
conservatur hominum societas *docente l. 12. C. De dignitat. Bo-*
dm. lib. 3. De Republ. c. 3. Imo summos conciliare honores
dicitur qui operatur decidendis litibus *l. 5. pr. ff. De jure im-*
munit. l. 3. §. 1. ff. Quod met. caus. l. ult. eod. *Præsidem* qui agere
& de jure respondere sustinet ex cultum solida juris erudi-
tione animum habeat necesse. Nec ignorantia in iis excu-
sat, quæ quis ratione officii tenebatur indagare *l. 132. ff. De*
R. I. cap. cum in cunctis & cap. inuotuit. extra De Elect. cap. quam-
vis. De R. I. Ignorantia similiter *judicis* plerumq; est calami-
tas innocentis, loquente *Augustino de Civit. Dei. L. 10. c. 6.*
quodq; confirmat *Carolus V. in Const. Crim. Art. 138. ibi &*
seindt viel Richter/ die die Rechte nicht gelernt haben/ und
durch Unwissenheit die Leute beschweren *add. cap. 22. X. De*
Rescript. l. 3. C. De Offic. Præfect. Prator. Orient. & Illyr. *stepius*
ita pro dolor voluntate magis, quam legitima auctoritate li-
tes dirimuntur. §. 17. Constit. Tanta De Confirm. Digest. Treutl.
1. Diss

1, *Disp. i. th. 8. lit. c.* Multaq; pendent & in Civilibus & in Criminalibus ex motu iudicis *l. 10. C. De Accusat.* cum tamen nec lege Clementior *Nov. 82. c. 10. l. ult. §. 1. c. De Compensat.* hoc enim Imperatori tantum licet. *l. 1. C. De LL.* Nec lege superior esse debeat *l. 3. in fin. c. Arbitr. tutel.* Legis autem ignarus quomodo secundum legem pronunciaverit? *Præsidis* porro efflagitat munus ut rationes à DNN, Opponentibus contra thesin adductas antè, quàm respondeat, exacte ponderet, balbutientibus succurrere, illorumq; mentem probè assequi studeat, cum non possit dici cogitatum, quod nimis est festinatum: *c. 18. X. De sentent. & rejudic.* Et præcipitanter ne quicquam agas, sed ante diligenter inquiras audita, docet *c. pen. caus. 2. q. 1.* præcipitantia enim in omnibus rebus reprobat & iustitiæ noverra dicitur *Clem. pastoralis. De sentent. & rejudic.* Elegans exemplum refert Paulus de Castro Baldum, cum adhuc puer esset, argumentatum esse contra Bartolum de casu unius legis, producto textu (Hieronymus Gagnolus *in arth. ex causa C. De libr. præcrit. n. 30.* dicituisse *l. 27. §. ult. & l. 28. ff. De inoff. testam.*) Bartolumq; stupefactum, laudasse pueri ingenium & in crastinum dixisse se responsurum. Quod imitatus & postea seculi sui Phœnix & eximium juris Romani decus Jacobus Cujacius, sæpe enim responsiones ad propositas in jure dubitationes rejecit in aliquem diem, addita hujus facti sui ratione prægnanti: Nolle se autoritatem, tot annis in jure acquisitam, una calida & festinata responsione, in discrimen adducere. Not. Mich. Piccart. *in observ. histor. decur. 11. cap. 10.* Præcavendum tamen, ne uti festinatio, ita mora nimia taxetur *l. 7. §. 1. ff. de Admin. & Peric. tut.* qui ergo medium tenet, acceptior erit, arg. *l. 13. §. 7. ff. De Jur. Fisc. Ita & Judex sine causæ cognitione procedens non censetur esse Judex, sed pro privato habetur. utpote absq; quâ processus nullus, nec juvatur ratione officii sui,*

cii sui, cum in illud deliquerit, quam ob causam casus intolitus & inopinatus dicitur, si ordine judiciario non servato pronunciatur: teste Natt. *Consil.* 45, n. 22, Vol. 3. Est ergo iudicis, veritatem diligenter investigare. *Auth. qui semel C. quom. & quand. iudex. l. 2. ibiq. Dd, C. de Edend. eamq. pariter & æquitatem ob oculos habere l. 4. §. 1. ff. De eo quod cert. loc.* Undiquaque enim invariabilis & undiq. irreprehensibilis esse cogitur. *Nov. 13. c. 3. §. 1.* Itidem eum esse voluit Imp. Constantinus, quando dixit: *Wann dein ärgster Feind Recht hat/ so sprich ihm Recht/ und wann dein bester Freund Unrecht hat/ so sprich ihm Unrecht.* Quia sapientia Dei ait, dilige justitiam, richtig/ währet ewig: vid. *Beckel. de publ. iudic. disquis. 13.* Sane omnis bona præsumptio in iudice cessat, quando brevi tempore quid agit. *Alciat. in Tr. de præsumt. reg. 3. præf. 9. n. 8.* & nimia celeritas dolum arguit *Menoch. 5. De præsumt. præf. 3. n. 103.* nec præcipitanter debere sententiam ferre, docet *c. pen. c. 2. q. 1. c. 70. caus. 11. q. 3.* ne alias si ferretur sententia, ob vitium nullitatis impugnari queat, *c. 18. §. fin. ibiq. Canonista x. De sentent. & re iudic.* Nisi quando in confessum feratur sententia, ex quo tunc nullæ sint partes iudicis nisi in condemnando *l. 3. ff. De Confess. l. 25. §. 2. ff. Ad L. Aquil.* Aut etiam iudex brevi tempore de illa causa instrui queat. *Cravett. Cons. 179. n. 1.* Porro docentium ordini insertus officium *Præsidis* ut suscipiat decenter rogandus, æq; ac *iudex* officium suum non communicat nisi imploratus *l. 4. §. 8. ff. De damn. in se et. Auth. qui semel. C. Quomod. & quand. iud.* Toties tamen ut juventutis promoveatur commodum & in felicitate juventutis crescat salus *Academiae* eam suapte sponte ad hocce exercitium invitat, frequentes *Respondentes* & *Opponentes* adesse optans, in-

stano

B

star

star iudicis qui tum in casu, in quo publica versatur utilitas, l. 3. pr. ff. De Offi. Præsid l. 10. c. De Ep. sc. & Cler. tum quando privata quidem vertitur utilitas, honorem tamen in iudicio concernit officium etiam non imploratus interponit. Mev. part. 2. Dec. 126. n. 4. Martin. In process. iii. 7. §. 1. n. 66. In eo tamen dissimile, quod iudex officium suum gratis impendere debeat. c. 10. x. De U. i. & honestat. cleric. pecunia enim seu munera iudicum animos solent pervertere & coercere, ut non videant jus alterius partis. c. 114. c. l. q. 1., c. 66. c. 11. q. 3. quapropter si pecuniam recipit, turpiter recipit & sic cum sit corruptus sententia erit nulla l. 7. C. Grand. provoc. non est necess. c. 41. §. venales c. 2. q. 6. cum ergo dispar ratio in p. epide notoria, isque neglectis aliis studiis, quibus lucrum quærere posset, disputandi negotio tempus impendat, honorarium à Respondente salva conscientia accipi posse extra omnem dubitationis aleam positum, c. 71. caus. 11. q. 3. officium enim suum nemini damnosum esse debet l. 7. ff. quemadmod. test. aper. l. 29. ff. Ex quib. caus. major l. 61. §. 3. ff. De furs. l. 26. c. De Admin. ius. nec quisquam contra suam utilitatem alii providere tenetur. Welsenbec. in paratit. ff. De Contr. tutel. act. N. 4. & in Comm. C. de Sportul. N. 24.

Missio Præside Respondentium fitto, qualis regulariter unus, & ad disputandum idoneus esse debet, malè ergo passim Tirones disputare affectant, omnium rerum penitus adhuc ignari, qui festinanter cruda adhuc studia suâ in publicum protrudunt. Haud quaquam tamen cum Pythagora quin. quennale silentium cuiquam imperandum censuerim, imò verò potius quamprimum diicentibus exercitationes habendi indulgenda eris potestas, utpote quarum multiplex ac necessarius est usus: Fundamenta quippe stabiliunt, quæ dubia

dubia sunt vel esse videntur solvunt, arguunt discentium profectus, eosq; reddunt attentos & accuratos, adeoq; solidā gignunt eruditionē. Unus pariter in foro *Actor* esse debet l. 24. §. 1. *De Administr. & per. tutel.* pluribus autem actoribus concurrentibus iste præfertur qui est idoneus l. 2. ff. *De popul. act.* idoneiorem autem Judex eliget, consideratis omnibus circumstantiis, ætatis & morum l. ult. §. 1. ff. *De Collus. deteg.* & præcipuè actionē permittet ei, cujus maximè interest d. l. ult. §. 1. l. 3. §. 1. ff. *de popul. act.*, seu ad quem res maximè pertinet l. 3. §. 12. ff. *De lib. hom. exhib.* vel quod quis consanguinitatis vel affinitatis causā agere debet l. 5. §. 5. ff. *De Hi qui effuder.* Ad *Respondentis* autem officium spectat, ut certas proponat Theses ac diligenter statum quæstionis formet, certum enim esse oportet, contra quod argumenta diriguntur: cap. 6. X. *De Sponsal.* insuperque Opponentes justo tempore invitet: Prolixè Scheibler. *Oper. Log. Tractat. Syllogist. cap. 18. n. 107. & 130. p. m. 610.* In lite etiam forensi *Actoris* est edere libellum, inque eo formando, imprimis quoad conclusionem istius, operosus esse debet, utpote qui Judicii fundamentum vocari solet, truncus arboris judiciariæ, sicut enim truncus rigat totam arborem, ita libellus rigat totum processum, ad eumq; referuntur omnes actus, præcipuè litis contestatio, probatio & sententia Wesenb. *ad tit. ff. De Edend. N. 8. Jbiqve Hahn.*, quemque pariter *incertitudo* reddit ineptum, nisi certa determinatio non sit in potestate libellantis, puta in obligatione alternativa §. 33. J. *De Act.* in calu l. 2. C. *De Resi. Vendit.* Conf. Lauterb. *Comp. ff. d. l. vers. 5. ineptum.* Nec sufficit *libelli* editio, sed insuper *Actor*, procuret ut compareat reus, omnesq; quorum principaliter interest l. 47. ff. *De Re Judic.* Qvalis in jus vocatio olim ab ipso fiebat actore Hodie au-

tem ad instantiam actoris jussu judicis per ministrum publicum Laut. in comp. ff. ad tit. De in jus voc. ibique DD. passim. Porro Respondentis exigit munus, ut propositas ab ipso Theses acriter defendat. Præmeditandæ ergo sunt ab ipso diligenter objectiones contra thesin ab Opponentibus formandæ, Nam et prævisæ minus nocent; Et se minus afflictum sentit, qui prævidet ictum. Etiam firmitus consistunt fundamenta, quorum destruuntur contraria. Mev. ad jus Lub. pars. 2. Lib. 2. Art. 17. n. 207. Ad hoc autem exacta & sufficiens rei propositæ desideratur intelligentia: secus enim facile contingere potest, ut ad primam quamque objectionem cum pudore obmutescat & thesin dimittere cogatur. Est vero peccatum initio ponere quod non oportet & positum non commode tueri, inquit Aristoteles lib. 8. Topic. cap. 3. Quicq; argumenta solidis juriū fundamentis nisa non refutat, confiteri ea censetur. l. 11. § 4. ff. De interrog. in jur. fac. Wesenb. 1. Conf. 4. n. 13. Actor similiter paratus veniat ad judicium, textus elegans est in l. 42. ff. De R. J. Ratio, quia actor in sua potestate habet quando agere velit l. 5. §. ult. ff. De dol. mal. except. inde instructus venire debet & paratas habere probationes, non ab adversario petere l. 4. C. De Edend. Actore autem non probante reus non duntaxat absolvendus l. 25. ff. De jur. fisc. l. ult. C. De. R. V. l. 4. C. De Edend. l. 23. C. De probat. sed insuper probabili litigandi causa destitutus in expensas condemnandus. l. 79. ff. De Judic. Stryk. Introd. ad pr. for. cap. 22. §. 7. Etiam in Criminalibus accusato actione injuriarum tenetur. Roland. à Valle Vol. 3. Confl. 90. n. 3. §. 4. Opponentium qui suscipiunt spartam probè expendere habent hypotheses, quibus sententia respondentis nititur, ejusdemq; rationes, contra quas formanda objectio, in lege quadam

quædam vel ratione juris contraria fundata, secus enim facile continget, ut nihil ad rem dicant, omni ergo conamine vel falsitatis vel alicujus erroris *Respondentem* arguere studeant necesse: Ubi autem proposita objectio soluta erit, cogitent de instantia, eandemq; repetita summaria *Respondentis* solutione, tamdiu urgeant, donec de veritate satis constet, principalis enim Disputantium intentio utrinq; debet esse veritas, quæ disputando invenitur ac læpius examinata magis elucescit, c. 7. *causa 35. q. 9.* fieri enim potest, ut lateat veritas tot oculis spectata, totq; insinuata sensibus, loquente Imperatore in *l. 8. in fin. c. Quirestam. sac. pos.* quanto itaq; magis conteritur & oppugnatur, tanto clarior expulsis nebulis in lucem progreditur, sicuti aromata magis redolent, quanto magis conteruntur. Cravet. *Consil. 135. n. 18.* Ita & in litibus forensibus *Reus* conventus *Actoris* libellum vel negando vel excipiendo plerumq; infringere studet, sicuti enim negatio facit rem dubiam. *l. fin. c. Quib. ad libert. proclam. non lic.* Ita exceptio prorsus repellit eundem, quem de jure tenet actio *l. 19. seq. ff. De Except. l. 11. C. De Evict.* est enim exclusio actionis *l. 2. C. De Exception. l. 112. ff. De R. J.* quareus in tantas sæpe angustias actorem cogit, ut causam deserere teneatur, insimulq; in expensas condemnatur, Victus enim Victori expensas restituere debet *l. 79. ff. De judic. modo exceptionem oppositam probare queat l. 1. C. Ad L. Corn. de fidej. c. 47. distinct. 50.* Ea enim non probata resolvitur in confessionem. Wesenb. p. 2. *Consil. 72. n. 21.* Inde prout *Opponentis* variis instantiis, ita *Reus* variis Exceptionibus uti solet *l. 43. ff. De R. J. l. 5. l. 8. ff. De Except. cap. nullus pluribus. De R. I. in 6.* quò una omissa vel non probata ad aliam redire liceat. *l. 5. & 8. ff. De Except. modo*

non sint inutiles, frustratoriæ aut malicioſæ, quibus non indulgendum *l. 38 ff. de R. V. l. 1 ff. De Reg. Caſon.* lites enim abbreviari publicè intereſt *l. 13. C. De judic. l. ſin. ff. Pro ſuò l. 2. C. De Re judic.* Inde quia toties fit, ut opponens exceptionem injurioſam, acſione injuriarum conveniatur Weſenb. *p. 1. Conſil. 22. n. 30.* maxime cavendum ne lites ex litibus ſerantur, *l. 11. in ſin. C. De Reb. Credit.* Interdum etiam evenire ſolet, ut ab iis qui *Preſidis* vel *Reſpondentis* occuparunt locum, ad argumenta ab *Opponentibus* in medium producta *Quid* pro *Quo* respondeatur, mente illorum non recte percepta aut rationibus adductis non ſatis ponderatis ob temporis anguſtiam vel nimiam feſtinationem, ſicq; contingit ut veritas ſupprimatur *c. 21. in ſin. Cauſ. 6. q. 1. junct. c. 3. diſtinct. 83.* quæ tamen ſemper attendenda, quia ad hoc inventa ſunt jura, ut verum à falſo, æquum ab iniquo diſcernatur *l. 1. ff. De I. & I.* Inde *Opponentis* eſt urgere toties, ut audiatur prius exactè, quàm reſpondeatur, ac data reſponſio applicetur objectioni, quò appareat, an præmiſſam negent, an diſtinguant, vel limitent: Scheibler. *Oper. log. in Tract. Sillogiſt. cap. 18. n. 134. p. m. 610.* Similiter nec Ordo juris patitur *Reum* inauditum condemnare, exceptionibus ab iſto oppoſitis ſuſq; de que habitis *l. 74. ff. De judic. tot. tit. C. De Requir. Reis* Cognitio enim perfunctoria pro nulla habetur. *arg. l. un. C. Qui num. tut.* Quo reſpicit & illud Nicodemi: Num quid & lex noſtra judicat hominem, niſi prius audierit & cognoverit quid fecerit. *Job. 7. v. 51.* cum reo cuiq; ſua pateat deſenſio Carpz. *pr. Cr. p. 3. q. 113. n. 6.* Exceptiones autem nil aliud ſunt, quam deſenſiones, quæ juris naturalis, nec ipſi Diabolo denegandæ. Weſenbec *Conſ. 47. n. 177.* Roland. à Valle *Voſ. 3. C. 3. n. 2. & Conſ. 12. n. 44.* Judex ergo nequaquam præcipi-

præcipitanter agere aut sententiam ex abrupto ferre debet.
c. 11. in fin. caus. 6. q. 1. c. 18. fin. ibiq. Canoniste X. De sentent. &
re iudic. Respondenti autem & Opponenti commune est, ut
ad hocce exercitium se accingentes bonos disputantium
induant mores, qui debent esse placidi & modesti, aliis non
interloqui, multo magis vero absint odiosa exagitationes
vel personarum, vel dictorum, ut si dicas *sejunctam datam
responsionem* quæq; sunt his similia. Inde fit, ut acerbæ orian-
tur altercationes, nimium autem altercando veritas amittit-
tur. Ludov. Vives *apud Seal. Exerc. 108. in fin.* Confitebitur
etiam quilibet, *in iuro* refutationes & responsiones litigan-
tium mutuas & modestas esse oportere. Cujac. *in reest.*
c. De Necess. serv. hered. 15811. adeo ut maledicendi studio
& convitiis rem agentes infames fieri dicantur. c. infames
vers. item si causa 3. q. 7. l. 6. §. 1. C. De postul. circa quos iudex
non nimium patiens esse debet, ne contemptui exponatur. l. 9.
§. 2. ff. De offic. Procons. Quibus lingvas præcidendas Bern-
hardus dixit; Alii secundum arbitrium iudicis puniri eos
fvadent, quos vid. cit. apud Carpz. p. 1. C. 1. D. 10.

Sicuti ergo injuriosa, ita & æquivoca ac obscura dicta
& scripta longe abesse debent *tam à Disputantibus* quia erro-
rum genetrix est æquivocatio, etiam obscure respondere
& nihil respondere paria sunt l. 11. §. 7. ff. De interrog. quam à
litigantibus, æquivocatio enim & iudicem ludere & Reum
frustra habere & *Actori* lite iniquius mota elabendi occasio-
nem præbere potest; iudicem, quem verba æquivoca trans-
versum agunt & aliud existimare faciunt, quam facti species
secum tulerit. Reum, quem hoc pacto inanibus suspitionibus
ravari sæpe compertum est. *Actori*, cui fenestra adeo
aefit excipiendi, non intellexisse iudicem nec reum quid
voluerit,

voluerit, & quorsum ea protulerit, litemq; reo intenterit:
Ab ejusmodi itaq; sophisticis cavillationibus perpetuo sibi
caveant litigantes, quin hoc agant potius, ut veritatem à
fordibus nudam in libello exhibeant apteq; & commode
concludant. Ex hisce dictis satis patescere puto, quale
sit Disputantium munus & quantum adferre adjumenti
queat ejusmodi disputandi exercitium: Cum autem ea sola
dicta admittenda, quæcunq; sic dicuntur ut præstentur,
non ut jaçentur *l. 19. §. 2. ff. de Edil. Edict.* Ipseq; ea ingre-
diaris via, quam commonstras: Ego disputationes de Dis-
sonantia Juris Civilis & Moderni hætenus inopiâ Respon-
dentium, qui ad sumtus necessarios impendendos prom-
pti, continuare præpeditus, jam consilium cepi, *tam ex-*
emplis aliorum hujus Academiae Professorum celeberr-
laudatissimis, quam officii mei ratione DN. SCHNOBE-
LII, Jcti Consummatissimi Disputationes in Pandectas
ad hocce exercitium non parum aptas in arenam produ-
cere. Aduerunt mihi hanc meam intentionem aperienti
sponde Viri-Juvenes optimi, lectissimi, qui merentur ut
lucem videant, eorumq; hic exhibeantur nomina
JACOBUS DORKS, *Gustroviensis.*
JOHANNES BERNHARDUS MULLER, *Rostochiensis.*
JOHANNES CHRISTOPHORUS ADTEL-
MEIJER, *Cracov. Silesius.*
GEORGIUS CHRISTIANUS WABST, *Cracov. Silesius.*
GABRIEL MAUERSBERGER, *Colb. Pomeranus.*
Deus autem T. O. M. benedicat huic studio, ut ego pro-
desse & illi proficere queant felicissimè: Vosq; omnes li-
beralium artium Fautores ac Cultores, ut præsentia ve-
strâ ætus hocce Disputatorios frequenter exornare atq;
adeo ad ultiores progressus strenuos, calcar addere ve-
litis, officiosè & quam humanissimè invito.
P. P. A. M. DCCII. d. XIV. Maij.

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20

Copyright 4/1999 VXiMaster GmbH www.vximaster.com

VierFarbSelector Standard - Euroskala Offset

A
B
C
D
E
F
G
H
I
J
K
L
M
N
O
P
Q
R
S
T
U
V

Focus

Balance

es, frustratoriae aut malitiosae, quibus non in-
38 ff. de R. V. l. 1 ff. De Reg. Caion. lites enim
plice interest l. 13. G. De judic. l. fin. ff. Pro suo l. 2.
Inde quia toties fit, ut opponens exceptionem
actione injuriarum conveniatur Wefenb. p. 2.
maxime cavendum ne lites ex litibus serantur
C. De Reb. Credit. Interdum etiam evenire so-
vi Praesidis vel Respondentis occuparunt locum,
ab Opponentibus in eum producta Quid
ondeatur, mentis in recte percepta
s adductis non ob tempo-
vel nimiam fe- tingit ut
imatur c. 21. in
en semper at
a falso, æ
ponentis e
respon
appar
Se
de-
ogni-
C. Qui
n quid &
cognove-
pateat defen-
atem nil aliud
defensiones, quæ juris nae, nec ipsi Diabo-
æ. Wefenbec Conf. 47. n. 177. Roland. à Valle
2. & Conf. 12. n. 44. Judex ergo nequaquam
præcipi-

